

folium apio simile. Baliscam Dyrrachini celebrant, Hispaniae coccolobin uocant; rarior uua, aestus austrosque tolerat, capiti inimica, copia larga. Hispaniae duo genera eius faciunt, unum oblongo acino, alterum rotundo. Nouissimas uindemiant: quo dulcior est coccolobis, hoc melior; sed et austera transit in dulcem uetustatem, et quae dulcis fuit in austeritatem; tunc Albano uino aemulantur. Tradunt uesicae uitiis utilissimum ex iis potum. Albuelis summis arboribus fertilior est, uisulla imis; quam ob rem circa easdem satae diuersitate naturae locupletant. Inerticulam e nigris appellauere, iustius sobriam dicturi, inueterato praecipue commendabilem uino, sed uiribus innoxiam, si quidem temulentiam sola non facit.

Fertilitas commendat ceteras principemque heluenacam. Duo eius genera: maior quam quidam longam, minor quam marcum appellant, non tam fecundam, sed gratiorem haustu; discernitur folio circinato, uerum utraque gracilis. Furcas subdere iis necessarium; alioqui ubertatem suam non tolerant. Maritimo adflatu gaudent, roscida odere. Nulla uitium minus Italiam amat, rara, parua, putrescens in ea,